

A M P L I S S I M O S E-  
N A T O R V M O R D I N I C I V I T A-  
T I S N O R I C A E D O M I N I S P R V D E N T I S S I-  
m i s , I o a n n e s S c h o n e r u s C a r o l o s t a d i u s ,  
S . P . D .



STROLOGIAM olim, P. C. non nisi apud summos Reges in precio fuisse, nemo qui temporum legerit historias, ignorat. Sublimior enim ea cognitio habita est semper, q̄ ut uulgi humilitas ad eā ascendere posset unq̄. Nā nascendi, moriendoq̄ causam ex motu prouenire cœli, tanq̄ occasum ab ortu, aut finem ab initio, à non nisi summis ingenijs percipitur satis. Quinetiam uniuersa illa rerum natura, quid aliud est, quam ordinata quædam, sibiq̄ semper constans immutatio, atq̄ conuersio? Quid illa rerum cum generatio, ut uocant, tum corruptio: quid deniq̄ uita & mors est animantium, quam quidam ab initio ad finem usq̄ motus? Præterea quid motus ille cœli, tum stellarum aliarum radiationes mortalium generi præstent, ex ipsius Solis & Lunæ motibus existimare licebit, Sol enim non semper easdem & simul æquales in corporibus nostris excitat qualitates, sed pro ea regione cœli quam peragrat, dum est aut propinquior aut remotior à conspectu nostro, agere manifestissime comprobatur. Quare cū hęc ita esse intelligerem, operæ precium me facturum existimauī, si motus cum errantium, tum fixarū stellarum, earundemq̄ longitudines, & latitudines: itemq̄ coniunctiones, oppositiones & aspectus luminarum & planetarum adinuicem. Deniq̄ etiam rationem aequationum duodecim domorum cœli, iuxta modum omnino rationabilem, quo usus est iam ante nos uir calculis doctorum omnium incomporabilis Ioannes de Monte regio, in lucem ęderem: quæ nunc omnia cura & diligentia mea non solum emendatoria, sed & iusta laboris mei accessione locupletiora, auctoriaq̄ habere possunt scholæ. Etenim hunc laborem meum & scholis nostris prodesse ratus sum plurimum, dum eo ingenia iuuentutis præclara, ad præclarissimum (ut ita dicam) deorum munus pertinaci studio persequendum, inuitarem, & eos qui alioqui sua sponte Mathematicas disciplinas amore complectuntur, mihi redderem coniunctiones.

Iam uero cum sciam neminem melius meri de humano genere, atque eos qui recta studia promouere, ipseq̄ mihi hanc prouinciam iam pridem subeundam censuisse, tamen ultiro currenti calcar addere Epistolis suis uoluerunt, utri in omni rerum honestarum scientia excellentissimi, Philippus Melanchthon, & Iacobus Milichius: quorum illi ob incredibilem eruditio-

nem